

in re. Cum enim prædicatio fiat secundum sensum formalem quem significant termini, non secundum identitatem quam habent in re, sufficit ad prædicandum de aliquo unum prædicatum, et non aliud, distinctio illa virtualis, seu non identificatio sub illa ratione, licet in re entitativa identificatio sit: sicut etiam dicimus quod essentia non generat, et pater generat, licet eadem entitas sit pater, et essentia: id enim quod de istis dicimus, et supra diximus, dicendum est de relationibus spirationis, et paternitatis quantum ad entitatem suam.

XLIV. Ex dictis patet latius patere notiones quam relationes, et relationes quam proprietates in divinis. Omnes enim proprietates sunt relationes, si quidem proprietates sunt formæ constituentes Personas, et istæ personales formæ relationes sunt, quia relative oppositæ, utpote distinctæ. Sed non omnes relationes constituunt Personas, et ita non sunt proprietates, sicut spiratio activa est ratio spiratoris ad Spiritum sanctum, sed non constituit Personam, quia non est incommunicabilis Patri, et Filio, sed unum est cum illis; et sic non habet Personam seorsum ab illis. Omnes tamen relationes sunt notiones, quia peculiariter notificant Personas, relationes quidem personales, suas proprias Personas quas constituunt: spiratio autem activa, non designat peculiarem Personam, sed peculiare principium notionale, quod est in duabus Personis, et illas etiam notificat ut oppositas, et distinctas a Spiritu sancto, licet non ut oppositas inter se. Non tamen omnes notiones sunt relationes, ut patet de in-nascibilitate, quæ notificat primam Personam ut primam, seu in quantum non est a principio. Nec oportet plures notiones addere, quia si quæ sunt alia nomina notionalia in

istis includuntur, et ad ista, ut ad principalia reducuntur. Persona autem, vel ratio divina in communi non est notio, sed prædicatum commune inclusum in particularibus notionibus, non autem explicat propriam rationem innotescendi Personas, sicut dicit definitio notionis, sed communem.

## ARTICULUS IV.

*Quomodo sit utendum nominibus significantibus unitatem, vel pluralitatem, concretum, aut abstractum in divinis?*

I. Etiam ad notionum explicationem pertinet discernere, quomodo nominibus istis utendum sit in divinis. Nam ex indebito usu talium nominum, contingit errare aliquos circa divinas notiones, et nomina, quæ numerum vel unitatem designant in divinis.

Igitur nomina, quibus in isto mysterio utimur, alia sunt speciales ipsæ notiones, quæ, ut diximus, sunt quinque, articulo præcedenti stabilitæ. Alia quæ ipsis notionibus seu Personis, aut relationibus adjunguntur, et significare possunt vel unitatem in Deo, vel pluralitatem, vel singularitatem, aut solitudinem, aut exclusivam, vel alia similia.

Circa nomina designantia ipsas notiones, solum una difficultas occurrit, quomodo scilicet ponendæ sint notiones in abstracto, et in concreto in divinis, et quid possit de illis prædicari in abstracto, quid in concreto. Notiones enim sunt nomina in abstracto sumpta, scilicet illa forma, seu nota, qua ut ratione formali innotescit nobis, et distinguitur propria aliqua ratio Personæ, ut paternitas, filiatio, etc. Personæ vero in concreto non sunt notiones, sed res illæ quæ notionibus innotescunt.

scunt. Hinc orta est dissensio in duobus.

Primum, an sint distinguenda ista concreta, et abstracta in divinis.

Secundum, quid possit applicari, et prædicari de abstractis, et quid de concretis.

II. Circa primum, ponimus unam regulam: Dantur in divinis abstracta, et concreta solo nostro modo significandi diversa, non autem diversitatem aliquam realem, seu a parte rei ex parte rei significatæ inducunt.

Priorem partem hujus regulæ negavit Præpositivus, ne ista distinctio abstracti, et concreti divinæ simplicitati præjudicaret, contra quem agit S. Thomas hic qu. xxxii, art. ii.

Posteriorem partem negavit Aureolus apud Capreolum in i, dist. xxvi, et apud Cajetanum in hoc articulo secundo existimans distinctionem abstracti, et concreti aliquam diversitatem inducere ex parte rei significatæ, et non solum ex parte modi significandi, quia alia si solum ex parte modi significandi distinguerentur, quidquid verificatur de uno, verificaretur de alio.

Sed utrumque est falsum. Et primum contra Præpositivum constat, quia in Deo procedimus juxta nostrum modum intelligendi præscindendo, et dividendo, et componendo, quia unico simplici intuitu non possumus rem tantam comprehendere. Cum autem in Deo inveniatur et simplicissima forma, quia nihil compositionis habet, et completissima, et absolutissima substantia in se independens, et incommunicabilis, habet et perfectionem suppositi complete subsistentis, et simplicitatem formæ. Ergo possumus istos conceptus dividere, et intelligere in divinitate id quod est formæ ad modum formæ, et suppositum ad mo-

dum habentis illam; et sic formam ad modum formæ secundum se consideratam vocamus abstractum, suppositum vero, seu id quod est ut subsistens, et per modum quod significatur, vocamus concretum. Quare hoc non magis derogat simplicitati divinæ, quam ipsa distinctio attributorum, quæ distinguimus ob imperfectionem nostrorum conceptuum non valentium illam eminentissimam perfectionem unico modo, sicut in se est, attingere.

III. Ex hoc autem deducitur per eandem consequentiam, quod sicut in prædicatis absolutis, et natura divina distinguitur iste conceptus quo, et quod, ratio formæ constituentis, et ratio habentis formam, ita in conceptu Personæ, et in eo quod personale et notionale est, uterque conceptus distingui potest concreti et abstracti, quo, et quod; quia etiam Persona ipsa relativa, et subsistens personaliter constituitur in ratione talis Personæ; et ideo invenitur ibi, et ratio constituens, et res constituta; et in quantum concipitur ut constituta Persona, et ut quod, dicitur seu significetur per modum concreti in quantum vero concipitur ut ratio, et forma constituens Personam in esse relativo Personæ, quæ est ipsa personalitas, significetur in abstracto, et ut quo, seu ut forma personalis, sicut paternitas, filiatio, etc. specialiter vero, ut inquit D. Thomas in articulo ii, qu. xxxii, hoc fuit necessarium distinguere in divinis Personis; tum quia fuit necessarium explicare, et significare id in quo Personæ sunt unum, et id in quo sunt plures: dicimus enim Personas in deitate, et essentia esse unum, et in personalibus seu relationibus, tres. Recte ergo significantur nomina ista relativa in abstracto, ut significantur formæ, seu rationes multiplicandi Personas; tum quia invenitur una Persona, v.

g. Pater respicere duas Personas, scilicet Filium, et Spiritum sanctum et differre ab utraque. Si ergo interrogemur, quo differt Pater a Filio, et quo a Spiritu sancto, quo respicit Filium, et quo Spiritum sanctum, oportet assignare formalitates seu notiones, quibus id significetur, et exprimat, nempe quod paternitate differt a Filio, et spiratione a Spiritu sancto.

IV. Secundum vero probatur contra Aureolum, quia divina forma est per se, et in se existens, quod ut reddatur concreta, et ut quod, non indiget aliquo a se distincto, sed seipsa immediate est quo, et quod, quia in se est omnino perfecta, et in actu puro secundum esse, et secundum modum suum. Ergo ut significetur in abstracto, et in concreto, ut quo, et ut quod, non indiget diversitate aliqua ex parte rei significatæ, sed eadem omnino res in se, et in sua linea utrumque ob suam perfectissimam rationem includens, nostro modo concipiendi, et significandi præcise dividitur, et diverso modo concipitur in abstracto, et in concreto. Nec obstat, quod aliquid attribuimus istis formis in concreto, quod non in abstracto; id enim non est propter diversitatem rei significatæ, sed ex parte modi significandi, qui etiam attenditur in verificatione propositionum: fit enim verificatio, et prædicatio juxta nostrum modum concipiendi. Et sufficit eminentia unius rei, quæ æquivaleret multis ad formandas illas diversas prædicationes in sensu formali, licet unum, et idem sint in identico, ut sæpe diximus, agendo de distinctione attributorum, et Personarum ab essentia. Et si quæras, quid exprimat nomen abstractum, quid concretum, respondetur quod abstractum in illa forma divina, quæ in se ob suam perfectionem infinitam est quod, et quo, solum expri-

mit munus formæ, et rationem naturæ, omittendo modum suppositi, seu subsistentis, et habentis illam ut quod. Concretum autem exprimit eandem naturam cum modo subsistenti, et habendi, seu existendi ut quod.

V. Restat secundum, quod circa hanc difficultatem proposuimus, explicare, videlicet quid verificari, et prædicari possit de istis nominibus in abstracto, quid in concreto. Circa quod duæ regulæ assignari solent.

Prima: Actiones, vel productiones significatæ per modum actionis non possunt prædicari de relationibus, et notionibus in abstracto, bene tamen in concreto: sicut ista non est bona prædicatio: Paternitas generat, filiatio spirat, filiatio generatur: ista autem prædicatio est bona: Pater generat, Filius generatur.

Secunda regula: Propositiones significantes non actionem in vi actionis, sed convenientiam, et identitatem unius ad alterum, æque prædicantur de abstractis, ac de concretis, nisi prædicetur una relatio de altera: talis enim prædicatio semper est falsa. Exemplum primi: Paternitas est pater, vel est Deus, vel est deitas, et similes, omnes sunt veræ. Exemplum secundi: Paternitas est spiratio activa, est falsa, ut supra diximus præcedenti articulo. Multo magis falsa est, si una relatio prædicetur de sua opposita, ut: Paternitas est filiatio, hæc enim non solum est falsa, sed hæretica, quia destruit mysterium. Utraque regula sumitur ex S. Thoma in hac quæstione xxxii, art. ii ad ii, ubi negat actiones tribui notionibus in abstracto, ut: Paternitas generat, paternitas creat: posse tamen propter identitatem substantiva personalia, et essentialia dici de notionibus.

VI. Ratio primæ regulæ illa est, quia actiones non possunt vere attribui, nisi principiis operativis. Principium autem operandi in concreto, et ut quod est ipsum suppositum seu subsistens: principium operandi ut quo, est forma, quæ est ratio agendi, et pertinet ad naturam, seu virtutem operandi, sicut intellectu dicimur intelligere, voluntate velle. At vero subsistentia, seu personalitas sumpta in abstracto, neque est principium agendi ut quod, et in concreto, quia significatur in abstracto, neque ut quo, et ut formale principium, quia non est virtus, et activitas naturæ, sed solum est terminus, seu modus complens naturam, ut agat, tamquam subsistens: ergo ipsi sic in abstracto non potest tribui actio, ne significetur esse principium quo agendi, seu forma, et virtus qua agens agit: id enim significatur per principium quo actionis, et illud quod in abstracto significatur agere, significatur ut forma, et principium quo agendi. Unde si concederetur ista propositio: Paternitas generat, esset sensus quod paternitas est id quo Pater generat, seu est ratio generandi, quod est falsum. Et sic licet Pater, et paternitas sint idem ex parte rei significatæ, ex parte tamen modi significandi intervenit talis formalitas seu appellatio, quod falsificatur propositio; in ejus enim verificatione etiam attenditur modus significandi. Si autem removeatur modus abstractionis, et formalitas significandi, solumque in sensu identico dicatur: Res quæ est paternitas generat, vera est propositio.

VII. Ratio vero secundæ regulæ est, quia prædicatio illa fundatur in identitate; sunt autem omnino idem in divinis abstractum et concretum, essentialia et personalia: ergo ratione talis identitatis poterit fieri prædicatio, cum ibi non obstet

appellatio illa actionis, quæ ex formali modo significandi, quando attribuitur formæ in abstracto, significatur illam esse principium quo agendi, seu id quo agens agit, quod de subsistentia seu personalitate verificari non potest, quia solum est conditio requisita ad agendum, seu modus, aut terminus, non formalis ratio, et activitas seu virtus.

QUID DE ALIIS NOMINIBUS SIGNIFICANTIBUS PLURALITATEM VEL UNITATEM?

VIII. Circa secundum punctum hujus articuli, considerari debent alia nomina, quæ notionibus solent adjungi, seu Personis, et pertinent ad unitatem, pluralitatem, vel solitudinem, aut exclusionem, sicut Patrem esse alium a Filio, Deum esse solum, esse Trinum, etc. de quibus agit S. Thomas in quæstione xxxi. Sunt autem quatuor ordines seu classes horum terminorum. Quidam pertinent ad identitatem, vel alietatem ei oppositam, ut hoc nomen idem, unus; hoc nomen alius, aliud, etc. Alii pertinent ad singularitatem, ut *ly unicus*, singularis. Alii ad exclusionem, ut *ly solus*, tantum, etc. Alii ad multipliciter, et diversitatem, ut *diversum*, *differens*, *trinus*, *triplex*, *multiplex*, et similia. Fiunt ergo quatuor regulæ.

IX. Prima regula est: Nomen alius masculine adjungitur Personis, non vero aliud neutraliter seu substantive. E contra vero *ly unum* substantive recte dicitur de Personis, non unus masculine, nisi adjungatur terminus trahens ad naturam divinam, ut cum dicitur Pater, et Filius sunt unus Deus: significatur enim unitas in divina natura. Eodem modo loquendum est de hoc nomine idem, quod masculine non attribuitur Personis, nisi adjunga-

tur ille terminus Deus, ut cum dicitur: Sunt idem Deus, neutraliter autem attribuitur illis absolute. Cautius tamen utendum est hoc nomine idem, quam hoc nomine unum: tum quia eadem voce, et terminatione pronuntiatum masculine, et neutraliter; tum quia est nomen relativum, et refert suum antecedens, et potest aliquando referre idem in Persona et est falsum, vel in natura et est verum. Hæc regula desumitur ex D. Thomas hic q. xxxi, art. ii, eamque desumpsit ex Augustino de fide ad Petrum, c. ii. Et in Scriptura dicitur de hoc nomine alius: *Rogabo Patrem meum, et alium Paracletum dabit vobis*, Joan. xiv: et iterum Joan. v: *Alius est qui testimonium perhibet de me*. Et de nomine unius dicitur Joan. x: *Ego, et Pater unum sumus*: et i Joan. v: *Et hi tres unum sunt*. Et hoc ideo est, quia nomine neutro significatur aliquid magis confusum, et nondum formatum, nomine autem masculino aliquid magis formatum, et distinctum. Et quia proprium est suppositi seu Personæ distinguere, et ultimo complere, nomina masculina magis attribuuntur Personis, neutraliter autem naturæ, ut non explicat suppositionem. Ad designandum ergo distinctionem in Personis utimur hoc nomine alius masculine, et non adhibemus hoc nomen unus; e contra vero ad significandum unitatem naturæ dicimus esse unum, et ad evitandam distinctionem in natura negamus esse aliud.

Hic vero se offerebat occasio disputandi an unitas, seu ratio unius dicit de formali aliquid positivum, vel aliquam negationem connotando positivum quod aliqui in præsentia disputant, occasione ejus quod tractat D. Thomas in quæstione xxx, art. iii, an termini numerales ponant aliquid in Deo positivum, an negativum, an aliquid sumptum a

specie numeri, qui est quantitas, an a multitudine quæ est transcendens. Sed nos de hoc egimus præcedenti tomo circa quæstionem xi, disp. xi, art. i, ubi late ostendimus ex D. Thoma, quod licet unum non superaddat enti, nisi negationem, tamen formaliter non consistit in eo solo quod superaddit, sed in ipsa positiva ratione entis ut connotante negationem divisionis.

X. Solum posset esse difficultas circa pluralitatem unitatum in Personis, quia istæ unitates multiplicantur in divinis, si quidem est de fide esse in Deo tres Personas, i Joan. ultimo: *Et hi tres unum sunt*: multiplicato autem aliquo numero, vel plurificata unitate, videtur dari in illis plus et minus, quia plus sunt tres quam unum, vel duo, saltem extensive, et consequenter erit aliqua compositio, non per modum unionis aut conjunctionis, sed per modum numeri, quia ille ternarius numerus Personarum componitur ex pluribus unitatibus, nec enim est simplex unitas: ergo est numerus ex unitatibus resultans. Aliquid ergo compositum, saltem per modum numeri in Deo ponimus: ex quo ulterius sequitur dari ibi totum, et partes, quia datur compositio ex pluribus: ergo datur totum quod est compositum, et partes quæ sunt plures unitates: omne autem totum est majus sua parte, et rursus omnis numerus mensuratur per unitatem tamquam per aliquid simplicius. Erit ergo in divinis majus, et minus saltem extensive mensuratum, et mensura, quæ omnia absurda sunt; et sic aliquando sancti patres rejiciunt numerum a divinis, ut in Concilio Toletano ii, in confessione fidei dicitur: « Hæc sancta Trinitas, nec recedit a numero, nec capitur numero. » Juxta hoc ergo quæritur, quæ imperfectio importetur in numero, a qua debeat plurificari ut po-

natur in divinis, et attribuatur Personis.

Respondetur quod numerus Personarum in divinis solum datur penes unam formalitatem, seu officium numeri, scilicet penes dividere realitatem relativam, et pluralitatem facere. Penes alia autem officia quæ aliquid imperfectionis important, ut est componere unum ex pluribus, addere aliquid per aggregationem in uno numero super aliud, mensurare multa per unum, tamquam per aliquid simplicius, hoc ibi non invenitur. Multo minus ea quæ sunt propria numeri quantitativi, seu quod est quantitatis discretæ inveniuntur in numero divinarum Personarum, ut quod ex divisione resultet, quod per multiplicationem quantitativam crescat, et quantitativo modo mensuretur, etc. Qui ergo sentiunt relationes in divinis non solum distingui secundum realitates, sed etiam importare diversas perfectiones, et diversas existencias relativæ, vix possunt se expedire, quin in numero trium relationum, seu Personarum sit aggregatio, et compositio per modum totius, et partis, ita quod saltem extensive crescat perfectio relativæ, et non solum sit plus realitatis relativæ in tribus Personis, quam in duabus, vel in una, sed etiam plus perfectionis relativæ, saltem quoad extensionem, quia hæc addit super illam aliquam perfectionem relativam, quæ in alia non est, ed duæ perfectiones sunt, et ubi datur plus perfectionis, datur aggregatio et compositio, et totalitas et partialitas, quia hoc aggregatum trium, est quoddam totum, et singulæ unitates sunt singulæ partes illius aggregati, et quælibet minor suo aggregato, quia totum est.

XI. Nos ergo, qui in omni rigore intelligimus illud symboli Athanasii: « In hac Trinitate nihil majus,

aut minus, » etiam relative, dicimus numerum in divinis facere diversitatem realem relativam, et pluralitatem in realitate, sed non majus aut minus, neque additionem aut aggregationem, aut compositionem, totum aut partem, neque pluralitatem mensurabilem per unum.

Ratio est, quia facere pluralitatem realem est de conceptu essentiali numeri, seu multitudinis, prout opponitur unitati: dicit enim unitas indivisionem in realitate, seu entitate; numerus autem, et multitudo multiplicat, et diversificat. Sed tamen quod in hac pluralitate, et diversitate reali, unum addat ad alterum, et faciat majus; et sic fiat aggregatio, et compositio, et consequenter resultet totum ex partibus, seu partialibus unitatibus, dependet ex alio principio, nempe quod divisio, et multiplicatio non solum fiat in realitate, sed etiam in ipsa essentia, et quidditate, et perfectione: si enim perfectio dividitur, et ipsum esse, et natura, clarum est quod hæc adjuncta alteri facit majus in perfectione, et addit super aliam, quia non est idem cum illa, etiam in eo in quo attenditur majus, et minus, scilicet penes perfectionem, et essentiam. At vero relationes divinæ in omni esse, in omni perfectione, in omni virtute, et natura identificantur, et sunt unum, nec una addit alteri. Non ergo ex multiplicatione, et numeratione eorum resultat totum et pars, majus et minus, nec aliqua aggregatio vel compositio, quasi additione uniantur, et crescant, quia in nullo crescut, si id quod affert unum eorum est in altero per identitatem omnimodam præter oppositionem relativam in ratione respectus: hoc enim servit ad faciendam pluralitatem in ratione realitatis, non compositionem, et additionem in ratione majoris, aut in ratione perfectionis ex-